Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-697022-p0001-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-697022-p0002-9

66

SVMMOS

IN. PHILOSOPHIA. HONORES

NOBILISSIMO. ATQVE. DOCTISSIMO

CHRISTIANO. VILELMO BOSIO

FRATRI. SVO. DILECTISSIMO

A. D. V. KAL. MARTII. CIƆ IƆCCXL.

IN. ACADEMIA. LIPSIENSI

MERITO. COLLATOS

AVSPICATISSIMOS

ESSE. IVBET

CAROLVS. FRIDERICVS. BOSIVS.

LIPSIAE
EX. OFFICINA. LANGENHEMIANA.

Tibia ſuaui, Iouis alma proles,
Dic melos longum, veneranda Clio,
Carmen vt poſſim modulari auena,
Suauiter adſis.

Nunc enim fundam numeros ſonoros,
Qui leui manant tenuique vena,
Tempus aduenit mihi gratioſum,
Tempus amoenum.

Ardor vrentis, tenerique amoris
Admonet, vinclum pietatis arctum
Vt TIBI monſtrem, mihi quo nec vllus
Carior alter.

Ipſe Theſea pietate iunctus,
Et fidem ſummam mihi praeſtitiſti,
Quae fuit partes Ionathanis inter,
Atque Dauidis.

Nunc mihi fas eſt, pia vota pro TE,
O TENAX FRATER FIDEI, vouere,
Quum TIBI donat nitidos perita
Pallas honores.

Hunc ſonum raucum minime ſequeris,
At magis mentem ſtabilem probabis.
Verba ſi deſint, tamen eſt voluntas
Semper amanda.

Gaudium carpit mea mens peramplum,
Edit haud fictos, hilaresque plauſus,
Laeta percellunt tacite ſerenam
Tempora mentem.

Fauſta nunc opto TIBI, CARE FRATER,
Gaudium blandum TIBI mente prodo.
Nam mihi magnos ſapiens loquela
Dat TVA neruos.

Exhibet Pallas TIBI, qui mereris,
Qua ſolet prudens redimire iuſtos,
Lauream dignam quoque dignitate,
FRATER AMATE.

Hos es inſignes apices honoris,
Signa virtutis, meritus diu iam,
Quod choros Phoebi TIBI ſeligebas
Flore iuuentae.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-697022-p0005-6

Vſque Muſarum ſtudio teneris,
Docta iam caſto docuit Minerua
TE Camenarum gremio, celebrem
Reddidit arte.

Non ego, quamuis pateras quietas
Torpidae Lethes biberem, reuelli
Nolo fraternum pietate ſanctum
Pectore vinclum.

Pro TVA ſemper bene ſanitate
Ore ſincero faciam venuſta
Vota, TE Numen ſapiens perenni
Laude decoret.

Serus in coelum redeas, diuque
Sis mihi praeſens, Pyliam ſenectam
Apprecor, quo TV ſuperes, agasque
Saecula multa.

78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148

TA-2OL
K218
6017

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-697022-p0007-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-697022-p0008-3

66

SVMMOS

IN. PHILOSOPHIA. HONORES

NOBILISSIMO. ATQVE. DOCTISSIMO

CHRISTIANO. VILELMO

B O S I O

FRATRI. … O

A. D. V. …

IN. ACAD … NSI

MER …

A …

CAROLVS … SIVS.

EX. OFF … A.

AK